



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

Emblema. I. primæ tabulæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38397**

mi inferioribus Abbatis nobis speciem exhibet, extititque & Sanctissimus, Sanctus nidelicet Alcuinus qui & Albinus, cognomento Flaccus. Hic natione Anglus, patria Eboracensis, monachus primū S. Petri Londini, & Bedæ Venerabilis discipulus, ordinis S. Benedicti, congregationis Giribennæ: Fuldenfis deinde postquam a Carolo magno Rege in Galliam fuisset euocatus, vbi clarissimos & doctissimos enutrit discipulos, Haymonem scilicet, & Rabanum monachos, & Episcopos, ac Vwardum itidem Monachum; mox promotione ipsius Caroli Abbas Monasterij S. Martini in ciuitate Turo-nensi effectus, doctrina quidem, & sanctitate ordini monastico gloriam, sibiq; nomen æternum peperit, adimentionibus tamen suis gloriosis, quas secum tanquam munera Domino terræ offerendâ defert, multo gloriosius refulsit, de quib. modo per singula dicēdū.

### Emblema I. Primæ Tabulæ.

Scriptum est enim,

*Benedicamus Patrem, & Filium, cum Sancto Spiritu. Cant. Ecclesie.*



PRIMVM tabulæ quam manibus gestat, symbolum, est Sanctissimæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti imago, hac ratione illi attributa, quod suis temporibus pullulantibus hæresibus Sanctissimam Trinitatem oppugnantibus, ipse instinctu, & deprecatione Sancti Bonifacij Archiepiscopi

Moguntini, & Monachi, Missas uorinas per septimanam decantandas composuerit, & sic compositas unicuique ferie propriam assignauerit; quarum prima fuit illa, quæ usque in hodiernum à Sacrosancta Ecclesia in solennitate eiusdem Sanctissimæ Trinitatis quotannis deuotissime decantatur, quæ incipit:

*Benedicta sit sancta Trinitas, atque indiuisa unitas, confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Et cætera, quæ sequuntur.*

Cuius etiam rei causa de eadem Sanctissima Trinitate, & fide Catholica tres libros doctissimos conscripsit, qui excusi sunt simul cum suo Homiliario, ex quibus postmodum materiam sumens, integrum, tam nocturnum, quàm diurnum, officium Ecclesiasticum illius diei coadunauit, quod sic ab eo institutum, ab Ecclesia sacro-

B B b 3 sancta



sancta etiam approbata fuit, & ut solennitati Sanctissime Trinitatis perpetuis temporibus deferuieret, præceptum. Alijs autem ferijs, ex eius institutione, tali ordine missæ votivæ decantabantur.

Feria 2. de Sapientia, Feria 3. de Spiritu sancto, Feria 4. de Charitate.

Feria 5. de Angelis, Feria 6. de Cruce, Sabbato de Virgine Maria. Causa autem illa non longè post cessante, institutum, ut Feria prima, idest Dominica, proprio missæ uteretur officio, & illa S. Trinitatis festo propria esset, qui non multis post annis à Ludouico Pio Imp. concedente Rom. Pont. Gregorio III. monacho, Alcuini exemplo institutus est; Secunda uerò feria diceretur de Angelis; Tertia pro peccatis; Quarta pro pace; Quinta pro tribulatione; Sexta, & Sabbato, ut supra.

Non me latet uotiuas has missas à doctissimo uiro Iacobo Pamelio in tertio suo, qui est huius Alcuini, Sacramentorum libro, qui excusus est Colonia, cū Antiphonario S. Gregorij an. 1571. in 4. aliter distribui uidehæret.

Dominica die de S. Trinitate, & de Spiritu sancto.

Feria 2. Pro peccatis; & Pro petitione lachrymarum.

Feria 3. de Angelis; & Pro tentationibus cogitationum.

Feria 4. de Sapientia; & pro humilitate.

Feria 5. de Caritate; & Contra tentationes carnis.

Feria 6. De Cruce; & Pro tribulatione.

Sabbato, de S. Maria; & eiusdem Commemoratione.

At in iis, quæ diximus, Gulielmi Durandi Mimarensis Episcopi, in rationali suo diuinorum officiorum lib. 4. c. 1. & lib. 6. c. 114. auctoritatem sequimur; quæ ut antiquior, ita & nobis probabilior uisa est, opinioni tamen Pamelij non derogantes; parum enim refert quò ordine dici iussæ, cum de auctore Monacho constet. Recensentur, & ab eodem alia undecim Missæ ab eodem Alcuino composite, & ab Ecclesia approbatæ, uidelicet, De uno Apostolo; De pluribus Martyribus; De uno Martyre; De uno Apostolo, Martyre, uel Confessore; De pluribus Martyribus; De iis, qui requiescunt in Ecclesia Sanctis; De Sanctis, quorum aliqua reliquiæ ibi requiescunt; De omnibus Sanctis; Pro inimicis; Pro confitente peccata sua; & Pro salute uiuorum, uel requie mortuorum. Quæ omnes cum in Missalibus Monachorum, tum etiam in Romano impressæ leguntur, quamuis ibidem nomine auctoris careant.

Em-